



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis  
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia  
Dominicarum Totius Anni**

**Hartung, Philipp von**

**Egræ, 1689**

Problema X. Quis diffamaverit Villicum? Dominica VIII. Post Pentecosten.  
Diffamatus est Luc. 16. v. 1.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)

epigraphe signemus : *nitimur in scelerum canitur : expellas furcâ , tamen us-*  
*tidum.* Nimirum Consuetudo , al- *que redibit.*  
 tera Natura, de qua populari voce



# PROBLEMA X.

Quis diffamaverit Villicum?

## DOMINICA VIII. POST PEN- TECOSTEN.

*Diffamatus est.* Luc. 16. v. 1.

§. 1.  
An Villi-  
cum ini-  
quitas  
diffamâ-  
rint boni  
Angeli.

**D**iffamatum esse villi-  
cum audivimus, à quo  
diffamatus sit, à do-  
mesticis an extraneis,  
ab amicis hominis di-  
vitis, an inimicis, ab Angelis an dæ-  
monibus? nescimus. Angelos bo-  
nos fuisse suspicor, qui clientum  
suorum injurias à villico iniquitatis  
irrogatas ferre diutius noluerunt,  
sed in sanctissimas accensi vindicias  
repræsentare Divinæ Justitiæ in-  
justissimi Villici fraudes & nequitas,  
Accedit quòd Evangelista, observet  
diffamatum esse villicum *quasi dissi-*  
*pâset*, non quòd absolute dissipârit  
Domini substantiam, sed quasi dissi-  
pâsse visus sit, quæ deferendi mode-  
stia in alios vix cadit quàm bonos  
Angelos, qui in ipsa delatione dimi-  
nuere potius quàm exaggerare no-  
stros solent errores, & ut verbis D.  
Athanasii utar *possibilitatem etiam re-*  
*legant mendacii*, hoc est, ita speciem  
facti repræsentant, ut nec umbram  
falsitatis admisceant, ideòque non  
dissipatorem appellant, sed diffam-  
matum duntaxat proponunt, *quasi*  
*dissipâset*. Militat hæc quidem ra-  
tio pro bonis Angelis, sed fortior in  
contrarium urget, diffamatorem vi-

delicet fuisse diabolum, qui juxta  
nomen suum *Calumniator*, & gene-  
ralis titulus est *Accusator fratrum*,  
cujus una voluptas & indefessus  
labor, accusare servos ante conspe-  
ctum DEI. & quia sæpissimè jam  
convictus est mendacii, non audet  
dicere, dissipata esse bona Domini,  
sed *quasi* dissipata ut majorem ac-  
cusationi suæ adstruat fidem, quam  
tamen nec hoc astu impetrat, quin  
priùs prudentissimus Dominus re-  
um accersat, & percontetur: *quid*  
*hoc audio de te?* quasi non libenter  
audiat Dominus, quòd delatus ma-  
lè audiat servus, mallet enim illum  
in honore & optima apud omnes  
esse existimatione, quàm nescio cu-  
jus infidelitatis insimulari. hic ni-  
mirum semper fuit eritque DEI no-  
stri & omnium DEO devotorum  
genius, bonæ aliorum famæ opti-  
mè consulere, quod lectissimis ali-  
quot figuris expendendum dabo.

DEI nostri personam in teatro  
Evangelico gessit bonus ille mali filii  
Pater, qui respiscenti prodigo post  
paternam dissipatam substantiam,  
vestes priùs quàm panem adferri  
jussit, etsi panem is non vestem pe-  
teret; quasi doceret, honorem ma-

§. 2.  
Etiam im-  
piorum  
famæ cu-  
ram gerit  
DEUS.

gis esse necessarium, quàm panem, & providendum prius famæ, quàm fami. Ingeniosè Chryf. lo. 3. 15 Serm. de prodig. *antè vestiri voluit filium, quàm videri, ut soli Patri nota esset nuditas*, semper DEO curæ est fama nostra: *in memoria æterna erit justus* Pl. III. v. Lorinus vertit: *in fama æterna erit justus. ab auditione mala non timebit*, Titelmann<sup>o</sup> legit: *neque conturbabitur à timore malo, quemadmodum impii*. quæ sic explicat Bellarminus: non timebit à detractionibus & reprehensionibus hominum impiorum, semper enim in hominum memoria vivet per famam gloriosam. nec apud mortales solum memoria illius erit in benedictione, sed scriptum erit Nomen ejus in libro vitæ, eoque pacto verè ac propriè in memoria æterna apud Angelos in cælo perfeverabit.

Quid? quòd famæ impiorum quoque consulat DEUS, ideòque villicum iniquitatis in hodierno Evangelio laudet, & in primordio mundi non Adæ sed terræ maledicat, quòd sue ipsius imagini honorem confereret inquit Moyfes Barcepha. Quærit Theodoretus q. 62. in Gen. cur Spiritus Sanctus recensens raptum Saræ à Pharaone factum non insinuet, an Pharaon peccarit cum illa, sed satis habeat dicere: *flagellavit Dominus Pharaonem flagellis maximis & Domum ejus propter Sarai uxorem Abrahæ* Genes. 12. v. alterâ autem vice cum ab Abimelech raperetur, non tantum referatur supplicium: *mories propter mulierem quam tulisti* sed insuper exprimitur Saram mansisse intactam: *Abimelech verò non tetigit eam* Genes. 20. v. 4. & respondet: *ut consuleretur famæ tam Saræ quàm Isaaci*.

Pœnitentem Magdalenam depingens Lucas nomine eam proprio non indigitat, neque dum con-

Luc. 7.

versionem Matthæi recenset, sed illam *Mulierem*, hunc publicanum nomine Levi, nè quoquo modo nomen utriusque læderetur. *Dum agitur de peccatis*, inquit Ambrosius, *suppressit nomen*, ut bono eorum nomini consuleret.

Exercitatissimi in hac sancta Politice sunt cœlestis aulae Ephebi. Gabriel dum aram incensanti Zachariæ bona nova nuntiat, & filii prædicat ortum, conceptionis non meminit, sed solius partus mentionem facit: *Elisabeth uxor tua pariet tibi filium* Luc. I. v. at verò dum Nazaretanæ Virgini divinum annuntiat puerperium, conceptionis unà meminit & nativitatis: *ecce Concipies in utero & paries*. quæ est ratio disparitatis? consultum voluit Angelus famæ Joannis, ideòque conceptionis non meminit, cum in ea maculam contrahere debuerit. animadversio hæc est Innocentii 3. Pontificis Serm. I. de S. Joanne: *non Conceptum dicit, sed ortum Joannis JESU verò prædicat ortum pariter & conceptum*, quia Joannes fuit conceptus in culpa, JESUS autem sine culpa conceptus, uterque verò natus in gratia. Et cur idem Angelus Josepho in somnis apparet Matth. I. cum dedocet errorem, & Matth. 2. cum jubet fugere in Ægyptum? utroque in casu revelandum erat aliquod piaculum sive Josephi leve, sive Herodis pergrave, id verò dormienti aperit, ut constet, quàm cauti in revelandis defectibus alienis sint Angeli. & merebatur certè Joseph sine confusione propria instrui, quia & ipse cum esset justus noluit traducere sponsam, sed occultè dimittere eam. *voluit prodesse peccanti*, inquit S. Augustinus serm. 16. de verbis Domini, *non punire peccantem*.

Genes. 45. Joseph manifestatur se fratribus, *præcepit ut egredirentur*

§. 3.  
Cur Gabri-  
el nullam  
mentionē  
faciat Con-  
ceptionis  
Baptistæ.

§. 4.  
Quomodo  
Joseph

consulue-  
rit fratrum  
suorum  
honoris.

rentur cuncti (aulici) foras, dumque se manifestat: *elevarit vocem cum fetu. ego sum Joseph frater vester*, ut etiam foris aulici audire poterint. at dum scelus commemorat, ego sum ille quem vendidisti, *ista dixit Joseph voce submissâ, ne eam audire aut intelligere possent, quia aliqui erant in domo, qui lingvâ Hebræam ab ipso audierant* & didicerant, inquit Abulensis in c. 45. Gen. fol. 700. sed quare ista tacite? exprobra errorem palam, ut suffundantur rubore. non dico ut mineris supplicia, sed ut acerbè objicias scelus. at respondet ille: bonæ famæ fratrum meorum attendo, defectum celo, nè honorem lædam. vocem primam (pergit citatus Abulensis) in qua denotabatur fraterna cognitio, voluit Joseph omnibus esse notam. Patet, quia audierunt Ægyptii, & omnis domus Pharaonis. at secundam, in qua notabatur fratrum maligna venditio, voluit esse Ægyptiis occultam, nè eos viros contemptibiles & scelestos judicarent.

Quod Joseph cum fratribus, Christus fecit cum discipulis. Matt. 17. *assumpsit tres, & duxit eos in montem excelsum seorsum.* quare hos tres? respondet Jansenius: *tres ad hoc delegit, ut secundum legem in ore borum trium Verbum hoc confirmaretur, & tres illos, quos inter duodecim Apostolos primo semper loco habuit, ut qui ob id, quod primi & præcipui essent inter Apostolos præ aliis etiam perfectiori Christi cognitione donari debebant.* Causam aliam dat D. Thomas Villanovanus, cur non omnibus transfigurationem sicut resurrectionis gloriam voluerit esse manifestam, quia *hoc non esset fidem confirmare, sed destruere, non esset homines credendo ad se allicere, sed rei evidentiam convincere.* Paschasius Rabertus in Biblioth. veterum Pa-

trum tom. 9. in hoc caput Matthæi, tres ait *assumuntur in montem, quia nemo potest resurrectionis videre gloriam, nisi qui integrum mysterium Trinitatis incorruptâ fidei sinceritate servaverit. nec immerito Petrus, quoniam ipse prior claves regni celorum accepit: deinde & Joannes, cui Mater Virgo committitur ob privilegium Virginitatis, Jacobus quoque qui primus ex Collegio Apostolorum Solium Sacerdotale proprio purpuratus sanguine, & dealbatus in Christo victor ascendit.* In rem meam optimè Proculus in hoc caput, cum Judas indignus esset hanc tremendam visionem videre, eum infra reliquit cum reliquo Apostolorum Coetu, nè tanquam Solo relicto hominis proderet pravitatem. nè videlicet alii sinistrum quid suspicerentur de Juda, etsi hic suam famam flocci faceret, at Dominus etiam aliis vicibus honorem Judæ, ubi potuit, tuitus est. interrogatus à Pontifice de discipulis & Doctrina Dominus: *JESUS dissimulans ad interrogationem de discipulis factam respondere, fugerant enim à se omnes, unus ipsum in mortem proditor traderat, & ideo ad secundam duntaxat interrogationem de doctrina respondit.* ita Joannes Lanspergius lib. 3. de passion.

Seminârant Apostoli semen discordiæ pessimum in agro cordium terreo: *facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major* Luc. 2. jam messem litium parabant, cum Christus parvulum (quem Jansenius c. 70. in Evang. putat fuisse S. Martialem, postea à Petro ordinatum Germanorum Apostolum) statuit in medio eorum, sive ut vult citatus Jansenius: accepit eum in ulnas quomodo fieri solet infantibus aut valde pueris. cur non adultum, maturum, canumque advocat? quid cum puero, qui absque judicio

§. 5.  
Quomodo  
Christo A-  
postolo-  
rum bonâ  
famam de-  
fenderit.

§. 6.  
Cur Chri-  
stus par-  
vulum in  
medio A-  
postolo-  
rum statu-  
erit.

cio

Apud Al-  
cuinum  
Serm. de  
S. Michael.

cio bonum inter & malum non potest discernere? prudentius litem senex dirimet quam puer. sed placet Christo parvulus, ut quales sunt parvuli per ætatem, inquit Jansenius citatus, tales nos simus per voluntatem. non ut ætatem habeant puerilem, confirmat S. Paschasius hic, sed humilitatem atque innocentiam: quam illi per ætatem annorum possident, isti per industriam & virtutem habeant puritatis. ac si diceret (verba do Haymonis Halberstadiensium Episcopi) sicut parvulus iste, cujus vobis exemplum proposui, videns pulcram mulierem non concupiscit, non alienas divitias appetit, læsus non relædit, non aliud cogitat, aliud loquitur, & iratus non perpetuas tenet discordias, ita & vos nisi talem habueritis innocentiam in mente, qualem iste habet in corpore, regnum cœlorum nequaquam intrare potestis. Pœnè iisdem verbis Eusebius Emissenus apud eundem: Videtis hunc parvulum, nisi ab hac stulta dignitate, quæ vestros animos perturbat, ad hujus patientiam & humilitatem conversi fueritis, & sine odio, sine invidia, sine superbia, sine ambitione, in regnum cœlorum non intrabitis. Verùm optimè mihi S. Aelredus Abbas Cisterciensis: *advocavit parvulum qui vix loqui non verat, qui aliis id quod audiret non proderet, si enim adultum adhibuisset, facile imperfectiones Apostolorum & rescivisset ipse, & cum aliorum infamia propalasset.* unde bene Aloysius Novarinus in c. 20. Matth. sect. 4. Num. 402. *Discimus quàm cautè aliena peccata tangenda sunt, ut aliorum nomini consulatur & alienæ famæ.*

Certè idem Christus Martham infidelitatis ream Joann. 11. cum diceret: *Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus,* ac si Christi

omnipotentia setam procul non extenderet, increpuit: *o Martha quomodo cum tanta fide diffidis,* verba sunt S. BERNARDI, credis hoc? Magdalenam verò etsi eandem iteraret cantilenam: *Domine si fuisses hic,* non increpuit, sed conticuit, cur? *CHRISTUS non loquitur Magdalene* inquit S. Chryostomus, *sicut locutus est sorori, non erat tempus verborum. ibi enim erat turba.* nota. *ibi erat turba.* Martha erat Sola, periculum manifestandi defectus & honoris lædendi non erat, ideo illi dixit dicturus longè severiùs veritatem Magdalene (cum eam magis dilexerit) nisi honori ejus consulisset, quia cincta erat magno comitatu.

Cum itaque tantam famæ nostræ curam habeat DEUS, decet & nos (si quid diviniore in nobis est Spiritus) pro bona fama alterutrum Zelare, certissimòque nobis persuadere, parem cum infamibus Orci incolis habere genium, qui lubens alios denigrat, nec diffamari ullum magis, quam qui alios diffamat.

In Emblema propono tricipitem Cerberum perpetuò obvios fatigantem latratu: *quem vis impune lacesso;* ex parte altera serpentem colloco, trifulcæ telo linguæ triplex vulnus infligentem: *uno tria vulnera morfu.* Elegans certè detractoris typus, qui velut infernalis Canis allatrat, quos mordere non potest; si mordere potest, uno detractoris morfu triplex infligit vulnus, quo audientem, diffamatum, & suam lædit animam. Addamus & Æthiopem parvulum, ex furno reducem, qui suâ alios inficit fuligine: *tingit quos tangit.* similiter detractor cum fuligine vitiorum totus nigricet, suam quibus quibus potest attricat fuliginem; sed Hic Niger est, hunc aure utrâque caveto.

§. 7.  
Emblema.

PRO-